

Hierin fehlte Nr. 8

am 10. 4. 1917.

Suchies.

57
29
28

DECANI ET SENIORIS
FACULTATIS MEDICÆ
RVDOLFFI GVILIELMI
CRAVSII,
PHIL. ET MED. DOCT.
PRAX. ET CHIM. PROF. PVBL.

Propempticum Inaugurale

DE

CONVENIENTIA
ET DISCREPANTIA IN-
TER ERRATA NATVRÆ ET
LVSVS NATVRÆ.

IENÆ LITTERIS KREBSIANIS.



L. B. S.



Uamvis eundem plerumque ordinem teneat, eundemque veluti orbem verset NATURA; est tamen ubi à decentis perfectionis scopo aberrans monstrum progenerat; est etiam ubi lascivienti, atque oblectanti similis, nescimus quos *lusus* agitare videtur.

Quæ duo effectuum genera discernere à se mutuo, ac separare conantibus, occurrunt nonnulla, quibus aut *nihil* omnino, aut *parum* admodum inter eà interesse cuiquam fortassis suadebitur.

Etenim tam *natura errata*, quam *lusus natura*, non ab arte, aut alià causà, sed à naturà ortum trahere inde patet, quod ipsum propterea à natura nomen acceperint. Neque minus rarum quid est, atque insolitum, quando animalium, imò ipsius hominis, aut arborum, florum, similesque alias figuras metallo, vel gemmæ, lapidibus, item lignis, eorumque radicibus impressas conspiciamus, quàm si biceps, vel triceps hominis monstrum offeratur: quorum *primum* ad naturæ *lusus*, *alterum* verò ad ejusdem naturæ *errata* refertur.

Quod si commissos à natura errores in rebus potissimum animatis cum *Aristotele* statuas; erunt illicò, qui naturæ quoque ludibria in plantis præcipuè, & animalium partibus, varias hinc inde imagines referentibus ex *Kircheri*, *Wormii*, aliorumque monumentis demonstrant. Neque mirum pro-

proinde, quod peccata pariter naturæ, ac ludicra tantâ figurarum varietate, tamque multiplici partium situ, ac numero à se invicem, atque à rebus aliis dignoscantur. Quamobrem Grammatici atque Etymologi non solum, sed complures etiam Physiologi, observatore inter alios *Schotto*, erratum naturæ ac monstrum appellandum putarunt, quicquid ob miritatem, naturamque mirificam dignum esset monstrari: quod equidem censu naturæ etiam *lusus* venire, nemo inficiabitur.

Quæ omnia, licet magnam habere speciem videantur; nihil tamen evincunt aliud, quam inter res, in cæteris dissimilimas, unam, itemque alteram similitudinem remanere.

Cum enim naturæ ludibria per omne propè entium naturalium genus vagentur, & tam vivis, quam vitæ expertibus congruant; certè monstra, erroresque naturæ ad animalia atque plantas ab antiquissimis Sapientibus, medendique magistris coarctantur. Quod equidem apud eos, qui in *Hippocratis* nostri, inque *Aristotelis* ac *Theophrasti* *Eresii* scriptis versati sunt, omni dubio caret. Præterea in peccatis illis naturæ manifesta, inque oculis incurrens deformitas, naturæque læsio à cunctis notatur. Ad *lusus* verò naturæ tanquam ad plena amœnitatis spectacula pserumque accurrimus. Nequerepertus est temerè, qui, quemadmodum corpora animalium à naturali pulchritudine aberrantia, ita omnia ludibundæ naturæ opera, pro signis prodigiisque malorum cum *Tullio* reputavit.

Quando igitur naturæ errata in eorum vulgò effectuum classem rejiciuntur, qui præter agentis intentionem, & casu quodam contingunt; reperti ex opposito sunt, qui *lusus* illos naturæ singulari naturæ artificio, Deique moderatoris solertiâ nasci, cum *Athanasio Kircher*o pertendunt.

Quæ ex contrariâ parte allatæ sunt rationes, suadere quidem nonnihil, minimè verò persuadere censendæ sunt; & prior quidem hoc asserit, atque demonstrat, *lusus* pariter atque errata

naturā non ab arte, sed à naturā venire. Quasi verò vel fidera, vel posita sub sideribus elementa, quorum utraque naturalem agnoscunt originem, vel in naturā peccatis, vel in ludis naturā habere conveniar.

Eodem responsionis atque solutionis genere alterius etiam argumenti nodus tollitur. Multa enim rara ac minus frequentia sunt, lusus vero atque errata naturā non sunt: cujusmodi sane pleraque ex mari afferuntur. Et Juvenalis Poëta virum equidem bonum suis temporibus in rebus quidem rarissimis deputat, quem tamen ex naturā errore, aut lusu existere nemo tam erit ridiculus, ut affirmet.

Sed ne omnes quidem promiscuè lusus naturā, haud secus ac monstra omnia ita insolita sunt, ut communem rerum naturalium ordinem transgredi videantur. Quis enim varios in lapillis colores & figuras, quis vultuum humanorum discrimina, quibus ludit certè natura inter res raras atque insolitas numeraverit? neque satis est, ad constituendum ludicrum, vel peccatum naturā, ut in plantis aliquid aut animalibus sese offerat; nisi pilos quoque ac folia ad alterutrum eorum adferre volueris.

Distant adhuc ludi naturā ab ejusmodi erroribus, quod hi quidem in solis viventibus, isti verò in corporibus quoque inanimis à Sapientissimis mortalium statuuntur: illa insuper figurarum, atque numeri partium positionis diversitas, nisi cum evidenti aliquā rerum deformitate atque debonestamento conjuncta sit, lusus equidem erit naturā, peccatum verò non erit. Namque & corporis virginei delineatione in lignis ac gemmis, & capitis bubuli effiguratione in stirpibus, sine hallucinatione, aut errore ludere natura consuevit.

Ultimum, quod Grammaticorum est, argumentum quam infirmum sit atque clumbe, vel inde apparet, quod à dictionis origine repetatur. Cum enim monstrum dictum existiment à monstrando, pro monstro reputant illicò, quiddam dignum

16
dignum est, ut monstretur. Certè Gemmæ etiam rariiores
ac stellæ dignissimæ sunt, ut oculis curiosorum monstrantur,
quæ nihil utique minus, quam monstrâ habentur. Quam
fallax ac temerarius testis Etymologia existit jam pridem con-
stitit eruditis, quippe quæ non minus mentientibus aliquan-
do, quam veritatem dicentibus attestatur.

Neque tamèn dissimulandum putamus, naturæ pariter
lusus atque *errores* in *litteris* nonnunquam significatu à scri-
ptoribus usurpari. Ita *monstrum sapientiæ* dicitur, qui ratio e-
ruditionis ac sapientiæ genere celebratur. Et *lusus* non raro
naturæ dicitur, quoties eâ oculorum delicias, atque oblecta-
menta producit. Spectat huc illud Poëtæ:

Ludet in humanis divina potentia rebus.

Verùm hæc fusius persequi partim temporis, partim charta-
rum angustia prohibemur. Ad illum nunc potius, de cu-
jus tum vitâ, tum rebus laudabiliter gestis exponenda bre-
viter sunt, quæ consueverunt, accessum paramus, nempe
clarissimum & dignissimum Medicæ artis candidatum,

GEORGIVM ANDREAM

Seideler.

Natus is est in oppido haut longè hinc distito, Rodano Anno
M DC LX V. mense Octobr. Patre SIMONE Seideler
Medicinæ Licentiatò, Physico primùm Weidensi, hinc Pra-
ctico Rodano felicissimo, vov év αἰσίοις; Matre verò CA-
THARINA MARIA Hermannin / Consulis Rodani piè de-
functi filia, vidua jam per duodècim annos honestissima.

Provida horum Parentum curâ à primis statim annis
domi, & in scholâ patriâ fidelium præceptorum curâ ad om-
ne pietatis, morum ac literarum studium adductos fuit, at-
que sic primis fundamentis positus Anno M DC XCI. felici

auspicio Geram, ad Gymnasium Rutheneum, tanquam ad mercaturam bonarum artium celebrem & florentissimam missus, ibidem haut levem fructum se percepisse ex informatione Virorum de elegantiori literaturâ, & scholasticâ juventute meritissimorum & clarissimorum M. JOH. FRIDER. KOEBER, t. t. Rectoris, M. JOH. WENDLERI, Conrectoris, utriusque nunc beati, & JOH. HITSCHOLDI, Collegæ Tertii gratus fatetur. Quia verò propter morbum gravem domum concedere, ibique per semestre spatium commorari cogebatur, & anno sequenti M DC XCII. obitus charissimi patris novum dolorem animo inferebat, quo ipso reditus ad Musas Geranas magis magisque retardabatur, anxio inter tot discrimina rerum animo subit cogitatio locum priorem mutandi, ideoque jussu suorum literas, quas vocant testimoniales à prælaudatis Præceptoribus Geranis decenter petiit, quibus impetratis se Altenburgum contulit, ibique studia sua per quinquennium ferme continuans, animum ad altiora præparavit felicissimè, sub manu ductione clarissimorum Virorum, nominatim M. SAMVELIS GROSSERI, t. t. Altenburgensis, hodiè verò Görlicensis Gymnasii Rectoris, & hujus successoris nobilissimi D. JOH. CHRISTOPHORI WENZELII, Directoris, nec non M. JOH. NIC. SCHV-MANNI, Conrectoris b. m. item M. FRIDER. FRISII, primùm Sub Conrectoris, dehinc Conrectoris, ut & M. JOH. CHRISTIAN. STERNII, hodiè Sub Conrectoris dexterrimi, quorum omnium ac singulorum, amorem, industriam & informationem fidelissimam gratissimâ mente recollit, & publicè dilaudat.

Sicuti autem à teneris ad medicum studium naturali quodam instinctu ferebatur, ita postquam politionibus studiis innutritus, sub prælaudati D. WENZELII directione Palæopyrgæo, sermone DE SECTIS MEDICORVM RECEN-TIORIBVS valedixerat, Anno M DC XCVII. mensè Maji,
huc

huc venit, nomenque academix dedit Rectore t. t. magnifico CASPARO POSNERO, Phys. Prof. Publ.

Incepta tam fructuose studia ulterius profecuturus, in philosophico & medico studio excellentissimos & celeberrimos Præceptores sortitus, quos tam publicè, quàm privatim constanter & sedulo audivit, ac in Logicis & Metaphysicis lectiones HEBBSTREITIANAS, in Physicis & Mathematicis HAMBERGERIANAS, omni studio, & cum magno fructu frequentavit.

Præparato sic ad artis Medicæ adyta animo, omnem navavit operam, ut fundamenta genuina hauriret, eaque hinc unli disciplinâ ad Praxin conferret, secutus imprimis D. GEORGIUM WOLFFGANGUM WEDELIVM, Heredit. in Schmargâ / Theoret. Prof. Publ. Com. Palat. Cæs. Consil. & Archiatr. Saxonie. famigeratissimum, in collegiis ipsius tam publicis, quàm privatis physiologicis, pathologicis, therapeuticis, chemicis, de materia medica, præscribendis formulis, praxi clinica speciali, aliisque, maximo suo cum fructu. Interfuit præterea collegiis botanicis, anatomicis & chirurgicis D. JO. HADRIANI SLEVOGTII, Heredit. in Ober-Rossla / Anatom. Chirurg. & Botanices Prof. Publ. & Medici Ducalis Provincialis celeberrimi; in specie verò hunc explicantem publice chirurgiam Nuckianam, & artificiosè ac curiosè secantem, ac publice demonstrantem sex cadavera humana, duo potioris, & quatuor sequioris sexus, hincque simul in duobus subjectis, uno masculino, altero fœminino operationes chirurgicas, & in postremo sectionem cæsaream, atque *εμπευδλιαν* curiosè tentantem, privatim verò ipsum corpora brutorum cultro anatomico examinantem miratus est. Nec prætermisit lectionibus D. ERNESTI HENR. WEDELII, Med. Prof. Publ. Extraordinarii, Med. Provincial. Saxon. Vinnariens. ac Civitatis Jenensis Physici, publicis, in aphorismos Hippocratis, atque privatis institutionalibus interesse. Præterea

cereā in palæstra disputatoria aliquoties publicè opponendo se laudabiliter præstitit, & meo in super consilio & informatione usus est; verbo, omnibus ac singulis modestiā, attentione, & quod maximum est, accessione singulari profectuum se optimè commendavit.

Quam ob causam cum ad praxin sub divinis auspiciis feliciter suscipiendam, promeritos Doctorales honores impetrare secum constituisset, idque suum laudabile propositum Facultati nostræ nuper aperuisset, non solum annuit gratiosa Facultas, sed & examinibus consuetis cum applausu exantlatis ad publica solennia fores aperuit, habendâ sub præsidio WEDELIANO ad diem XIV. Martii, bono cum Deo, Disputatione Inaugurali de PHIMOSI & PARAPHIMOSI.

Ad hunc actum solennem Magnificum Pro Rectorem, Comites Illustrissimos, Patres Academix conscriptos, & omnium ordinum hospites benevolos, eâ, qua par est observantia & studio invito. P. P. sub sigillo Facultatis Jenæ.

M DCCV. d. VIII. Martii,



[Faint, mostly illegible text visible through the paper, likely bleed-through from the reverse side.]



01 A 6551


ULB Halle 3
002 937 832



f
se

WMA







57
29
28

DECANI ET SENIORIS
FACULTATIS MEDICÆ
RVDOLFFI GVILIELMI
GRAVSII,
PHIL. ET MED. DOCT.
PRAX. ET CHIM. PROF. PVBL.

Propempticum Inaugurale

DE

CONVENIENTIA
ET DISCREPANTIA IN-
TER ERRATA NATVRÆ ET
LVSVS NATVRÆ.

IBNÆ LITTERIS KREBSIANIS,